

**Specimen chemico-medicum de mercurii praesentia in urinis
syphiliticorum, mercurialem curationem patientium / Joannis Laurentii
Cantu.**

Contributors

Cantù, Giovanni Lorenzo.
Hazard, J.-B. 1755-1838
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Turin] : [publisher not identified], [1823?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/naf88w9x>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

SPECIMEN CHEMICO-MEDICUM

DE MERCURII PRÆSENTIA IN URINIS SYPHYLITICORUM,
MERCURIALEM CURATIONEM PATIENTIUM

DOCTORIS JOANNIS LAURENTII CANTU

DEMONSTRATORIS, ET PROFESSORIS EXTRA ORDINEM CHEMIAE GENERALIS
ARTIBUS ACCOMODATAE IN REGIO SCIENTIARUM ARCHIGYMNASIO.

Lectum die 13 julii 1823.

Pathologis non minus quam Clinicis gravissimum meditationis argumentum nullo non tempore suppeditavit actio, ac vis ea, quibus mercurius agit in viventem oeconomiam, tum ut virus venereum destruat, cum ut morbum ab infensa hujuscemodi contagio ortum penitus curet. Fatendum interim est prolatas in hanc rem hypotheses, et ipsasmet clinicas observationes parum hactenus profuisse ad rem tanti momenti satis superque illustrandam.

Hoc phœnomenon, quium nec sat apte concipi, neque accurate explicari posse autumaverint jatrochimici, nisi prius exploratum apprime esset cuinam, vel quibusnam humoribus illud nuberet metallum ad luem venereum expellendam, et qua demum via viventi corpore eliminaretur, id ut assequerentur, nonnullas habuerunt sat accuratas encheireses in sanguinem, bilem, urinas, aliasque humores. At frustra insudasse dolendum est; si enim excipias tentamenta a Zellero, et Authenrietio capta, qui, ex una drachma sanguinis exsiccati, ab animalibus educti, quae per octo vel novem dies hydrargirosi subjecta, ex ejus vi, et efficacitate perierant, drachmam fere semissem mercurii vivi obtinuisse contendunt,

(quod quidem, utpote a veritate abhorrens cum cordatissimis vi-
ris haud esse admittendum censemus); si inquam haec excipias
tentamina, alia nulla habita invenies, quae mercurii in humoribus
praesentiam ostendant, et propterea ad phœnomenon concipiendum,
atque explicandum veluti manuducant. Nullum quippe mercurii
vestigium in humoribus detectum fuisse, ex accuratis chemicis ten-
tamentis Bergmanni, Klaprothii, Cruik-Scankii, Carminati, Mara-
belli, Rhadesii, Strabenovii, aliorumque, facile colligitur. Maximi
esse momenti id probe noscere, ac definire ipse reputans, mei
muneris duxi habita specimina iterare, et varios humores animales
ab individuis syphilide laborantibus, atque subpositis mercuriali
diaetae deprompts, novis tentamentis subjcere, ut demum, apta
instituta encheiresi, quid sentiendum esset, constituerem. At enim
vero, ingenue profiteor, etsi pro virili parte tentamenta susci-
perem, varia, ac multiplici ratione iterarem, nihil inde profeci,
nullumque vel minimum mercurii, vel in hoc, vel in illo humore
occurentis indicium detegere potui.

Obstupui, spem tamen non amisi: et ad nova suscipienda expe-
rimenta hoc magis me movit, mercurium corpus humanum ingres-
sum, in quo nullo modo consistere, ac morari potest, necessario
quaque via eliminari debere. Mecum reputans igitur mercurium
sub unguenti saepius forma cuti illitum interiora petere, a bi-
bulis cutis vasculis resorptum, per hanc viam in sanguinis alveum
traduci, maximam eam hic pati divisionem, qua metallum capax
est, quin novam fortasse formam nanciscatur; reputans hoc prae-
cise modo per omnes corporis partes distribui, eas permeare, ut
suos per universam œconomiam effectus exerceat; reputans tan-
dem futurum, ut iis praestitis effectibus, debeat indesinenter,
sed tamen insensibili modo a corpore eliminari; aliam paratiorem
ipsi praesto non esse viam existimavi, quam eam, quam exhibent
et vasa exhalantia cutanea, et organa Uropojetiea.

Hisce fretus rationum momentis, atque memoria recolens, me
nonnullos probatae auctoritatis viros audiisse, qui affirmaverint

ipsis in summa cute hominum, qui hydrargirosim passi erant, et gravi hinc intertrigine laborabant, sulphuretum mercurii, sive aethiopem mineralē, dum intra balnea sulphurea se demergerent apparuisse, illico judicavi ideo frustranea cessisse tentamenta a laudatis summi nominis viris suscepta, tum et ea, quae ipsem̄ in variis animalibus humoribus, speciatim vero in urinis habueram, eo quod mercurius qui minima copia corpus sub mercurialibus inunctionibus ingredi debet, minima etiam copia in eliminatis humoribus deprehendatur; et quod omnis instituta encheiresis habita fuerit in nimis tenuem humoris delecti copiam; propterea experimentatoris expectationem irritam evasisse, quia minima mercurii existentis copia, et reagentium efficacitatem, et oculos licet acerrimos eludat.

Quapropter maximam humoris copiam esse coacervandam, in eam ita congestam esse habenda experimenta dijudicans, quo aliqua ex experimentis summa erui posset, ad id operis ipse omni diligentia in hospitio hujus urbis *Charitatis* dieto, et in ejus Sectione, *del Bogetto* vocata, quae ad syphilide laborantes curandos prorsus accomodata est, sexaginta urinarum libras ab aegrotis mercuriali curatione subjectis collegi, et in apto vitro vase collocavi.

Urina ita collecta, atque servata brevi omnes eas acoris specialis dotes amisit, quibus vix evacuatae donantur urinae eorum, qui hydrargirosim patiuntur; tunc vero alkalescens facta est, atque copiose subsedit. Sedimen philtrationis ope a superinnatante liquore sejunxi, atque opportune reposui, ut apta dein methodo ad experientiae trutinam revocarem.

Antequam vero experimenta ex hoc urinarum sedimine haberem, apta primum esse instituenda tentamina in urinas constitui; quae trans philtum trajectae multa diaphaneitate pollebant. Ad haec itaque, ea in usum vocavi reagentia, quae mercurii existentiae alicubi revelandae apta accuratior chemia docet; at perperam. Tunc urinae portionem, quam intactam servaveram, intra vas vitreum locavi, evaporationi ad perfectam usque siccitatem subjeci, residuum

diligentissime collegi, huic anaticam dosim subcarbonatis potassae, et pulvēris carbonis admiscui, miscelam in vitream *retortam* immisi, hujus bene loricatae collum in excipulum sigulinum aqua repletum ita demersi, ut aqua ultra quatuor transversos digitos supra *retortae* collum ascenderet, ac demum, rebus ita dispositis, ignem *retortae* admovi, ea arte, ut sensim, quoad fieri potuit, ignis actio intenderetur ad incandescentiam usque, debita tamen semper diligentia servata, ne *retortae* vitrum liqueceret; atque ita per horam et ultra eandem ignis vim servavi donec omnis fluidorum evolutio sileret.

Aqua, quae in experimento e *retorta* sub vaporum forma erumpēbat intra aptum excipulum excepta, opalimum praeseferabat cōlorem, empyreumaticum ammoniacalem odorem olebat, distinctos alkalinos characteres exhibebat, nonnullaque praebebat vestigia olei empyreumatici animalis, quod ipsi superinnatabat; at ne ex hac quidem aliquot mercurii indicia eruere potui, licet, opportunis usurpatis reagentibus, eam accuratum ad examen revocaverim. Residuum autem in *retorta* a destillatione superstes, praeter materiem carbonaceam, alkalinam, quibusdam principiis salino-terrosis nuptam, nihil quidquam exhibuit.

Quum itaque in liquida urinarum parte nihil mercurii detegerem, operae praetium erat, ut apta methodo tentarem spontaneum earum sedimen, intra quod suspicabar, mercurium, a reliquis urinarum partibus, dum alkalinam nanciscebatur indolem, sejunctum, et suboxidi, vel sub salis forma depositum, aliisque earumdem salibus nuptum contineri.

Quo suspicio in demonstratam veritatem abiret, sequentia habui experientia; primo supra cupri laminam, apprime perpolitam, et aqua madidam diu confricavi praecipitatum, quod ab urina sponte secesserat: eadem autem ne hylum quidem dealbata est; cum hoc praecipitato dein commiscui aēquale pondus sub carbonati potassae, et carbonis pulverati; mixturam in *retortam* vitream rite loricatam immisi, cui affudi sufficientem aquae purae quantitatem,

ut in mollem pastam coalesceret; collocata tunc super furnum *retorta*, excipulum, aqua pura plenum, sic accommodavi, ut ejus collum intra aquam sat alte mergeretur; deinde ignem *retortae* admovi, quem gradatim adauxi usque ad majorem eam temperiem, quam vitrum, quin liquecat, potest ferre, eamque ita intensam, per horam circiter, attentissime servavi, donec jam omnis fluidorum evolutio siluerat.

In hoc experimento aqua, in excipulo contenta, leviter opalina facta est, ac, licet odorem empyreumaticum ammoniacalem emitteret, et nonnulla olei empyreumatici indicia praeverberet, quamquam multo minori gradu, quam in praecedenti experimento, attamen haec adnotanda se mihi exhibebant. Aquam intra excipulum contentam, maxima, qua per me fieri potuit dexteritate, omnique diligentia per *decantationem* in aliud excipulum effudi, eamque aptioribus in usum vocatis reagentibus tentavi, ut inde mercurium detegerem, quo cumque tandem sub statu in ea occurrere posset; at neque quidquam mercurii inde reperire potui.

Supererat in fundo vasis, e quo aquam per *decantationem* eduxeram, praecepitatum pulveriforme, brunei coloris; hoc diligenter plumae ope collegi, ac supra cartham bibulam locavi; absorpta ita aqua, et pulvere sicciori redditio simplicem compressionem in illud institui; haec vero sat fuit, ut innumeri illico apparuerint quam maxime exigui globuli mercuriales, qui simul aggregati sat conspicuam mercurii vivi massam, viginti et ultra granorum pondus superantem exhibuerunt.

Admiratione motus, non tamen agendorum immemor, *retortam* attentum ad examen revocavi, atque non sine novo stupore inveni in ipsius collo inumeros hujuscce metalli globulos, retentos ab oleo empyreumatico, in ipsa operatione comparato, a quo collum *retortae* inquinabatur.

Ex his, quae dixi, experimentis, et ex summa eorum, quae inde luculentissime eruuntur, mihi video sequentia deduci posse; nimirum:

1.^o In urina syphiliticorum , qui inunctionibus mercurialibus obnoxii sunt mercurium existere sub forma salis.

2.^o In ea ipsa solutum servari ope acidorum , quae in ea libera sunt.

3.^o Mercurium , quacumque sub forma , ab urina secedere , quum urinae acida saturentur ab ammoniaca , quae gignitur a decompositione materialium immediatorum , quae ipsa continet , ureae praesertim , utpote quae materiale sistat ad putridam fermentationem , p[re] reliquis primum .

4.^o Mercurium a vasis lymphaticis absorptum per majores hujus systematis truncos in sanguinis alveum affundi.

5.^o Mercurium sanguini admixtum , ob maximam , qua pollet , divisibilitatem , omnes humani corporis partes pervadere , atque ubi vis per universum corpus suam actionem exerere.

6.^o Mercurium , in viventi œconomia , virium chemico-vitalium actioni subjectum , maxima ex parte , vel etiam ex integro oxidari , et salificari , atque , sub hac forma , ab humana machina praesertim per lotia eliminari .

7.^o Oxidationem mercurii , sive ex parte tantum contingat , sive ex integro eveniat , aut lente , aut prompte effici , prout varia est solidorum vitalis conditio , varia humorum crasis , aut dyscrasia , qua aeger detineatur , prout varius est denique celticae affectionis gradus ; hinc ratio variorum effectuum mercurii , qui in variis observantur individuis .

8.^o Mercurium in syphilidis curatione agere : primo per se , hoc est , subducendo a viru aliquod ex principiis , e quibus componitur , et fortasse oxygenium , quod ex analogia inter ejus elementa adesse deducimus ; secundo , ob novas qualitates , quas acquirit , dum salinam formam sumit .

9.^o Effectus , quandoque funestos istius metalli , fortasse pendere ab ipsis intra œconomiam stasi , quum scilicet adjuncta quaedam prostant , quae quomodo eliminari possint praepediunt ; quod quidem evenire potest , sive ex nimia dosi , qua adhibitum fuit , sive

ob singulares non penitus hactenus perspectas in functionum exercitio, aberrationes: tunc vero mercurium agere, non ut mercurium metallicum, sed ut sal istius metalli, quod organicos textus offendat, ac ea gravissima, et proteiformia symptomata pariat, quae morbum mercuriale constituunt.

10.^o Remedia actuosiora, et aptiora ad teterimi morbi mercurialis curationem, ea comparata videri, quae ad salinam mercurii formam immutandam valent, uti sunt sulphur, sulphureta alkalina, aquae sulphureae, una cum illis aliis, quae potis sunt secretivam organorum cutanei, et uropojetici actionem augere, quemadmodum, ad exemplum, antimonialia nonnulla praeparata, guajacum, salsa-parilla, et similia.

11.^o Hasce illationes, si per experimenta, et observationes confirmarentur, posse et illustrare modum actionis nonnullorum remediiorum, illorum praesertim, quae a fossili regno sunt deprompta.

... etiam innotescit in secessuq; ministris cuiusq; erat consilioris id
opere. Tu autem ergo minister eris tuus: consilioris, olio
etiam regimini tempore illorum quoniam tu deus: consiliorum tuorum
adversarij. Aproposito autem huiusmodi te, praeservare eo ut, ceteris
ministris, tuus tuusque ministerio tuo, innotescit in secessuq;
ministris id est tuus tuusque ministerio tuo, innotescit in secessuq;
ministris tuus tuusque ministerio tuo, innotescit in secessuq;